

**De Natalibus Principum Romanorum Ad Illustranda Quaedam Iuris Civilis Loca
Libellus Academicus Inauguralis Et Natalicivus Ad Duce[m] Serenissim[um]
Frideric[um] Ducem Regnantem Meclenb[ur]gic[um] ... : Ad Celebranda Sollemnia
Natalicia Serenissimi Ducis Regnantis In Fridericiana Sva**

Buetzovii: [Verlag nicht ermittelbar], A. D. VIII. Novembr. A. O. R. MDCCLXXII.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn889226830>

Druck Freier  Zugang




Universität Bützow

Jur. Fak. 1772

Trendelenburg/Friedlieb

Bützow 135



DE
NATALIBVS PRINCIPVM ROMANORVM
AD ILLUSTRANDA QVAEDAM
IVRIS CIVILIS LOCA

LIBELLVS
ACADEMICVS INAUGVRALIS
ET NATALICIVS

AD
DVCEM SERENISSIMVM
F R I D E R I C V M
DVCEM REGNANTEM MECLENBURGICVM
VENETORVM SVERINENSIVM ET RATZEBVRGENSIUM
PRINCIPEM ITEM SVERINI COMITEM
IN TERRAS ROSTOCHIENSES ET STARGARDIENSES
DYNASTAM
REL. REL. REL.

OPTIMVM PRINCIPEM
AETATIS LVSTRVM VNDECIMVM

FELICITER CONDENTEM.

OF
THE
ACADEMY OF SCIENCES
AND ARTS
OF THE
CITY OF
MUNICH
BY
J. J. COOPER
M.D. 1844
PHYSICIAN
TO THE
ROYAL
ACADEMY OF
PHYSICS
AND
MATHS
OF
MUNICH
LONDON
PRINTED BY
J. JOHNSON
ST. PAULS CHURCH-YARD
1844

AD CELEBRANDA SOLLEMNIA NATALICIA
SERENISSIMI DVCIS REGNANTIS

IN

FRIDERICIANA SVA

PRAESIDE

RECTORE EIVSDEM

ADOLPH. FRID. TRENDELENBURG

S. PALATII CAES. COMITE

AA. LL. M. PHIL. DOCT. ICTO ANTECESSORE ICTOR. ORDIN. SENIORE

ET H. T. DECANO SOCIET. DVCAL. TEVTON. HELMSTAD.

COLLEGA HONORARIO

VT ADITVM SIBI PARARET

AD SVMMOS IN IVRE HONORES

AUCTORITATE

ORDINIS IVRECONSVLTORVM

INTER IPSA HAEC SOLLEMNIA

RITE CAPESSENDOS

AD DISCEPTANDVM PROPOSITVS

AB

MICHAELE GVSTAVO FRIEDLIEB

ROSTOCHIENSI.

BVETZOVII

A. D. VIII. NOVEMBR. A. O. R. c15 15 CCLXXII.

*DVX SERENISSIME , AVGVSTE PRINCEPS,
PATRIAE PATER INDVLGENTISSIME.*

F*elicem natalem TVVM sextum et quinquagesimum, quod bonum faustum felixque sit, quum celebrat populus, qui TIBI paret, cuiusue meliori iure TVO, quam olim Octavianus Augustus Imperator, romani populi, Pater,*
A 3 *quam*



quam Dominus, et esse, et adpellari maui^a):
 ego quidem natus inter Musas academicas olim
 a TE clementissime nutritas, et inter has,
 quas ipse instaurasti, adultus, non tantum pri-
 uatim, quod nunquam omisi, et in primis hoc
 die natali TVO, quoties mihi illuxit, sollem-
 niore pietate feci, pro incolumitate TVA, qua
 salus publica continetur, ad DEVM T. O. M.
 supplices manus tendere, verum quoque fau-
 stum hunc diem panegyri illa publice celebrare
 institui, qua honores academici in arte, quam
 profiteor, ex clementissimae TVAE indulgen-
 tia concessione mihi tribuentur. Sicuti enim,
 et

a) AVGVSTVM enim Domini ad-
 pellationem, ut maledictum et oppro-
 brium semper exhorruisse, auctor nobis
 est SVETONIUS in eius vita c. 53, qui
 patris patriae cognomen eidem ab uni-
 uersis, repentino maximoque consensu
 delatum esse, itidem narrat c. 58. Sed
 Principem, qui adulationem oderat, li-
 bertatem metuisset, acute, ex more suo,
 obseruat TACITVS *annal.* II. 87. ad
 quem locum I. LIPSII *excursus sub*
litt. P. de domini adpellatione legere
 iuuabit, cui id addimus, quod obscu-
 rum non est, et a SEXT. AVRELIO VI-
 CTORE *de caesar.* c. 3. relatum, CALI-
 GVLAM Imperatorem, in eo superbiam
 quoque ostendisse, quod Domini titulum
 primus adsumserit. Quod monuimus,
 ne quis imperitior, quae pietatis testifi-
 candae gratia omisimus, vitio nobis cri-
 minique vertat, quo maiori vix nos ac-
 cusari posse existimamus.



*et olim, et hodie in celebrandis Principum natalibus fieri consuevit, ut honoribus titulisque auferentur, quos Principes amarent, ita quum honores academicos peterem, malui his ipsis eo potissimum die ornari, qui vitam TIBI dedit, patriae Optimum Principem ac Patrem, reique tam publicae quam litterariae summum Protectorem, ut et hac ratione pietatem TIBI testarer, qua hoc ipso die DEVM Immortalem precor, ut TE, remque et priuatam TVAM, et publicam florentem et incolam ea benignitate seruet, quam, ut in TE conuertam, quae Traiano suo Plinius scripsit ^{b)}, super magnas plurimasque virtutes praecipue sanctitate consequi, SVMMI NVMINIS honore meruisti. Precor, ut TIBI, et per TE generi humano, inprimis populo TVO, prospera omnia, id est, digna saeculo TVO, contingant. Sed quum honores in iuris arte, ex DIVI
AVI*

^{b)} PLIN. lib. X. epist. 101. add. X. 2.



AVI TVI, cuius est sanctissima apud uniuersos memoria, constitutione c), ambienti mihi, necessitas more legeque scripta imposta est, libellum de qua re ad artem meam spectante conscriptum, publice ad disceptandum proponendi, putavi e re esse, hunc ipsum TIBI deuote offerre, hac quoque ratione me clementiae TVAE obsequiosissima mente commendaturus.

Quod quidem ut posset aptius fieri, et ut disceptatio ipsa super libello isto instituenda huiusce diei sollemnitati magis accommodata esset, opportunum visum est, hocce qualicumque libello,

*miscella quaedam capita
de natalibus Principum romanorum
proponere.*

Qui quidem locus nec Principis persona plane indignus videtur, nec ab his ipsis sollemnibus

c) Continetur illa rescripto de d. bello inaugurali disceptare debere, quam Suerin, d. 7. Apr. 1711. quo iussit, omnes ad hoc munus admitterentur. Exstat qui caussarum patroni in foro postulare rescriptum hoc inter decreta Comm. dicast. aul. et prou. Class. I, n. II. obtinendis, more academico super li-



bus alienus. Sed ut nec ab ea ratione abhorreat, quam pro honoribus in iuris arte disceptando sequi debeo, ea potissimum feligam, quae

*ad illustranda loca non nulla
librorum nostrorum
pertinent.*

Sed haec video ad selectum libelli argumentum tantum spectare, quod quidem si potest hac ratione non plane improbabile videri, sentio, superesse aliam rem, eamque grauissimam, in qua laborandum mihi sit, quae posita est in ipsa hoc argumentum tractandi ratione, qua maxime poterat libellus meus, et debebat non plane indignus effici, qui TIBI, SANCTISSIME PRINCEPS, offerretur. Quamquam autem ex hac re, quum eius cogitatio primum menti incidebat, summa difficultas mihi oriri videbatur, tamen haec ipsa, quia diutius eam ob animum versantem tantam inueni, quanta non tan-



tum a me non posset, sed nec facile a quouis alio penitus superari, tantum abfuit, ut a proposito me auocaret, ut potius, singularem, quam in TE praedicant vniuersi, clementiam, indulgentiam, animique suauitatem, et, quae summa Principum adeo laus est, humanitatem, mente mihi, et quasi oculis meis intuenti, est enim eius non minus, quam sanctissimae animi grauitatis in ipso ore TVO viua quasi imago expressa, mirifice addiderit animum, perficiendi id, quod erat propositum. Nam quum cogitabam, hac ipsa indulgentia, quae summa in TE est, posse neminem, nec doctissimum quidem et consumatissimum virum, in quo ingenii summa vis et quasi mensura, doctrinaeque copia et litterarum elegantia exquisitissima consisteret, carere, dum quid a se elaboratum et confectum oculis TVIS subiicere vellet: plane persuasum mihi habui, certissime fore, ut hanc ipsam, quam fateor maiorem in me iuene, ab
hoc



hoc scribendi genere, si non plane alieno, tamen in eodem minus versato, esse audentiam, non tantum excusandam ferendamque, verum maiori adeo venia, vel ideo dignam habeas, quod maiorem ea prodere videatur animi pietatem mentisque deuotionem, quae nec ipsa, quam sentit, ingenii doctrinaeque tenuitate, deprimi et vinci se patitur, quam quae viribus valentioribus instructa, certe suspensionem quandam facit, gloriolae magis aucupandae, quam pietatis testificandae, cupiditate se esse incitatam. Quare, si, quod spero futurum esse, non plane spernis haec, qualiacunque sint, et contemnis atque reiicis, id, certo scio, me debere soli TVAE, quam dixi, humanitati tribuere, quum, quam longissime ab eo absim, vt quid proferam, quod aut ingenio TVO sit, aut eruditione TVA, aut CELSITUDINIS TVAE fastigio satis dignum, egregie sentio. Quidquid igitur potest a me ad qualiacunque haec



commendanda proficisci, id solo breuitatis studio contineri intelligo, quo certe efficiam, ne quis possit aut indulgentiae TVAE abusus me accusare, aut suspicari, me de his qualibuscunque adeo magnifice sentire, vt ea multa TVA lectione non indigna existimarem.

CAP. I.

Primum autem ex libris nostris notamus, quae Imperatores VALENTINIANVS iunior et THEODOSIVS M. a. CCCLXXXVIII mense Augusti, Romae, vbi hoc cum duobus proxime anterioribus mensibus commorabantur ^{a)}, ad ALBINVM, Praefectum vrbi Romae, de feriis in foris romanis obseruandis rescripserunt, in earum numerum, in uniuersum ad centum quinque et viginti dies reuocatum ^{b)}, natales quoque suos referentes. Exstat autem constitutio ista non tantum in iustiniano codice repetitae praelectionis ^{c)}, verum quoque in iis, quae ex THEODOSII iunioris constitutionum imperialium corpore seruata nobis supersunt

^{a)} Vt eleganter, id est, more suo, ne huius legis in vtroque codice adiectum esse.

^{b)} Secundum curatissimam GOTHOFREDI computationem ex lege, quam *codicis theod.* quae tomo I, commentarii sui praefixa est, pag. 131. et ad l. 2. C. Th. de feriis, qui est tit. VIII. libri II, tom I. comment. p. 139. edit. RIT- pag. 141. institutam.

^{c)} vbi in titulo: de feriis, qui est XII. libri III, septimum locum occupat.



funt *d*). Sed quum ea utroque loco non totidem verbis legatur, quippe a TRIBONIANO ex aliis non nullis constitutionibus interpolata *e*), ut hoc quoque loco usus sit non nouo artificio, quo plures leges in vnam conflare consuevit; exhibebimus hanc constitutionem, praeunte codice theodosiano, ubi hunc in modum concepta legitur:

*Omnes dies iubemus esse iuridicos. Illos tantum manere feriarum dies, fas erit, quos geminis mensibus, ad requiem laboris indulgentior annus accepit, aestiuus feruoribus mitigandis, et autumnis fetibus decerpendis. Kalendarum quoque Ianuariarum consuetos dies otio sancimus. His adiicimus natalitios dies urbium maximarum (Romae, atque Constantino-
polis) quibus debent iura deferre, quia et ab ipsis quoque nata sunt. Sanctos quoque Paschae dies, qui septeno vel praecedunt numero, vel sequuntur, in eadem obseruatione numeramus *f*). Nec non et dies solis, qui re-*
petito

d) Ibique ea est, quam paullo ante sub lit. a. dixi.

e) Scilicet ex *l. ult. 5. C. Theod. de spectaculis (XV. 5.)* et *ex l. 3. C. Th. de exsecutor. (VIII. 8.)* siue *l. 13. C. Th. de exaction. (XI. 7.)* uti obseruat GOTHOFR. et nos mox distinctius indicabimus.

f) Hic TRIBONIANVS in *l. 7. C. de feriis* sequentia inseruit: *Dies etiam Natalis atque Epiphaniarum Christi, et quo tempore commemoratio apostolicae passionis, totius christianitatis magistrae, a cunctis iure celebratur: in quibus etiam praedictis sanctissimis diebus neque spectaculorum copiam referamus.*

Quae quidem, tantum non ad litteram, desumpta sunt ex *l. 5. C. Theod. de spect.*

(*XV. 5.*) quae multo post nostram *l. 2. C. Theod. de feriis a THEODOSIO iun. a. CCCCXXV.* profecta, ita incipit: *Dominico, (qui septimanae totius primus est dies,) et Natale atque epiphaniarum Christi, Paschae etiam et*

quingagesimae diebus (quamdiu coelestis lumen lauacri, imitantia nouam sancti baptismatis lucem vestimenta tectantur: quo tempore et commemoratio apostolicae passionis, totius christianitatis magistrae, a cunctis iure celebratur) omni theatrorum atque circensium voluptate per vniuersas vrbes, earundem
populis



petito in se calculo reuoluuntur. Parem necesse est haberi reuerentiam nostris etiam diebus, qui vel lucis auspicia, vel ortus Imperii protulerunt g).

Natalium dierum autem in hac constitutione duplex fit mentio, quarum prima ad maximas vrbes, Romam et Constantinopolin, altera ad ipsos imperatores pertinet, quibus tertiam natalis diei CHRISTI, ab Epiphaniarum distincti, licet is initio sub hoc nomine etiam comprehendetur *b)*, adiecit non tantum TRIBONIANVS, verum quoque interpres codicis theodosiani, quamuis GOTHOFREDVS *i)*, hic quidquam deesse, aut huius, vt reliquorum dierum, mentionem esse hoc loco ab imperatoribus factam neget, existimans, fuisse quidem tum iam hos dies celebritate religiosa peractos, sed nondum diebus iuridicis exemptos.

Qua ex re sane intelligitur, quam insignis is honos habitus fuerit, quod dies natales principum fastis diebus exempti et in numerum nefastorum relati sint. Quod et praeterea ex ipsis huius constitutionis verbis elucet,

populis denegata, totae Christianorum ac fidelium mentes Dei cultibus occupantur. Vbi, vt obiter DIONYSIVM GOTHOFREDVM patrem ex IACOBO filio emendemus, notemus, commemorationem apostolicae passionis indigitare praelectionem libri actuum apostolicorum in tota pentecoste sollempnem, vti eleganter docuit ad c. l. comment. tom. V. pag. 403. edit. Ritt. al. p. 356.

g) Hic addidit TRIBONIANVS: in quindecim autem paschalibus diebus compulsio annonariae functionis et omnium publicorum priuatorumque debitorum differatur exactio. Quae quidem ita translata sunt ex l. 3. C. Th. de

exsecut. (VIII. 8.) quae repetita constat totidem verbis in tit. C. Theod. de exaction. (XI. 7.) numero 13. vt prohibitio exactionum debiti publici et priuati, quae in his ad diem solis, quem dominicum rite dixere maiotes, (nam et haec lacinia inde exscripta est) a TRIBON. restricta est, in illa ad quindecim dies paschales, de quibus vid. GOTHOFR. ad l. 2. C. Th. de feriis tom. I. p. m. 143. al. p. 124. relata sit.

b) vid. GOTHOFR. ad l. 5. C. Th. de spect. tom. V. p. m. 401. al. 354.

i) ad l. nostram in fine tom. I. p. m. 143. al. 125.



elucet, quibus hoc facto reuerentiam his diebus haberi enunciatur. Denique idem et ex eo adparet, quod haec constitutio refringendae et coarctandae feriarum multitudinis causa, vt optime docet immortalis theodosiani codicis commentator, confecta sit. Certo enim hoc est indicio, tanta hosce dies reuerentia dignos habitos fuisse, vt, quamuis rei publicae expedire videretur, numerum feriarum diminuere et extenuare, tamen in hisce diebus existimarent summae, quae iis deberetur reuerentiae cedendum, et eos eximendos esse ex numero eorum, qui publicae utilitati maxime inferuiunt.

Sicuti autem *natale* a nascendo Romanis dicebatur, quidquid ad natiuitatem spectaret, idque adeo late, vt ad ipsas res inanimatas, quippe quae itidem nasci dicuntur, transferretur ^{l)}, inprimis tamen haec vox, vel Dei praesidentis nascentibus ^{m)}, vel, quod frequentissimum et vulgo notum est, temporum et locorum, quibus quis quidue natus natumue est, erat adiectio et designatio. Ita vox *natalis*, vel absolute posita ⁿ⁾, vel cum adiunctione *dici*, designat diem, quo aut animal, quod spiritum ducit, nascitur, aut aliud quid, siue res inanimata sit, siue factum, esse et existere incipit. Quare intelligitur, quomodo non tantum vrbibus hoc loco, neque id sine
exem-

l) Ita PLINIVS in *hist. nat.* XXXVII. 4. adamantem dicit in auro, non nisi excellentissimo, *natalem* pro: *nascentem*. Et COLVMELLA de R. R. III. 7. fertilitatem *natalem* vocat, quasi: *naturalem* et ingenitam.

m) Quod ex TIBVLLIO, tam de *Genio* masculorum Deo natali, quam de *Iunone*, quae feminis idem est, quod masculis *Genius*, probauit GESNERVS in *thes. stephaniano* s. v. *natalis*.

n) Quod intelligendum de singulari numero, quem dicunt grammatici. *Natales* enim in numero plurali designant conditionem nascendi seu sanguinis et familiae. Quotsum spectat celebris illa in iure natalium restitutio, de quibus singularis est in Pandecte titulus. Sed et *natalem* in singulari numero simpliciter et absque adiuncta alia voce dixit PLIN. *hist. nat.* XVII. 10. pro *femine*.



exemplo *o*), natalis dies tribui, sed et in ipsis imperatorum personis is non vna ratione dici possit.

Ita enim, quod maxime ad propositum nostrum spectat, natalis principum dies duplex erat, alter, qui ad natinitatem ipsorum referebatur, alter, qui ad imperii initium, seu ortum, vti imperatores nostri hoc loco loquuntur, pertinebat. Hunc *natalem imperii* dicebant, quae adpellatio non plane incognita est apud veteres scriptores *p*), sicuti nec nouum est, ad similes res, quae eueniunt tanti momenti, vt plane conditionem hominis mutant, nouamque quasi ei induant personam, hanc adpellationem transferri. Ita enim non ineleganter *SENECA q*), *dies iste, inquit, quem tanquam extremum reformidas, aeterni natalis est.* Neque his absimilis est loquutio, quae natalem ipsis Diis tribuit, hoc sensu, vt diem designet, quo templum iis dedicatum erat *r*). Ille dies autem natalis principum, qui a natiuitate, ideoque proprio sensu dicitur, vt distinguatur a die natali imperii, peculiari interdum insignitur denominatione. Ita *genuinus* dicitur ab *HONORIO* et *THEODOSIO iuniori* imperatoribus *s*), a gignendo, licet vix hanc loquendi formam apud veteres caesae latinitatis auctores occur-

o) Nam et *PLINIVS hist. nat. XIII. 4.* natali vrbis *IO CXXXIIII* dicit, pro eo, quod alias dicunt: *ab vrbe condita*, et apud *CASSIODORVM histor. tripart. VI. 30.* est: *natalis vrbium regiarum.*

p) Occurrit ea v. c. apud *AEL. SPARTIANVM* in *Hadriano c. 4.* vbi paullo ante etiam *natalis adoptionis* inuenitur.

q) *Epist. 102.* Hoc sensu quoque vocantur martyrum natales, isti dies, qui

bus morte plexi sunt, de quibus est peculiaris *SAGITTARII dissert.*

r) Sic *CICERO epist. ad Attic. III. 1.* natalem *Salutis* dicit diem, quo templum *Saluti* dicatum erat.

s) Illius est *l. 11. C. Theod. de proximis, comitibus dispositionum caeterisque, qui in sacris scriniis militant.* (*VI. 26.*) vbi: *genuinus natalis nostri dies*, huius est *l. 17. eod.* vbi: *genuinus dies natalis meae clementiae.*



occurrere existimauerim ^t), quorum exempla magis probant, vocis *genuini* hanc esse vim, vt quod innatum est, seu natium denotet, quare adhibetur ad exprimendum id, quod naturale est, aut quod simplex et genuinum, non vno sensu, dicere solemus. Sed quum propria haec, vt diximus, fit diei natalis acceptio, quae illum designat diem, quo quis natus est, hic potissimum intelligendus videtur, quoties eius absque adiectione fit mentio. Quod autem THEODOSIVS *iuuor* hunc ipsum felicem ^u), et venerabilem ^x) adpellitat, id non est huic diei proprium, sed frequenter haec verba iis iunguntur, quae ad imperialem maiestatem pertinent.

In nostra lege, quam proposuimus, de vtroque die natali, tam genuino, quam imperii, quidem fermo est, sed generatim tantum *nostri dies* vocantur ab Imperatoribus, nec peculiare et commune vtrique nomen: *natalis* adiicitur. Natalis imperii autem designatur hic per *ortum* imperii, perinde vti LEO et ANTHEMIVS alia constitutione ^y) fecerunt, de qua mox. Quamuis autem ipsum hoc *ortus* vocabulum frequentius apud veteres de nascendi principio occurrat, tamen, sicuti ab *oriundo* dicitur, ita nec latiore et ampliorem significationem respuit, et secundum ea,

quae

^t) IAC. GOTHOFREDVS tamen in *comment. ad c. L. 11. C. Tb. Tom. II, p. m. 156. al. 157.* MAMERTINO hanc loquutionem tribuit, tribus locis *Genetbliaci Maximiani*, scilicet *c. 1. 2. et 19.* quibus binis prioribus semel, postremo bis *gemini* vulgo leguntur *natales*, pro quibus *genuinos* restituit. Quod quidem et acutè videtur et rectè fecisse, attamen ad probandam huius loquutionis latinatam nihil valebit, quum MAMERTINVS hunc panegyricum dixit

exeunte saeculo tertio, eiusque anno secundo, et nonagesimo, vid. HAMBERGER *zuverlaessige Nachrichten von den vornehmsten Schriftstellern II, Tb. p. 636.* ideoque ad mediani aetatem aeternam pertinet.

^u) in *L. 6. C. Theod. de curiosis.* (VI. 29.)

^x) in *L. 21. C. Theod. de palatinis sacrarum largitionum* (VI. 30.)

^y) quae est *L. fin. C. de feriis* (III. 12.)

C



quae GOTHOFREDVS 2) obseruat, posteriori aevo imprimis huic acceptioni mancipatum videtur.

Caeterum, dum sumus in hac re occupati, praeterire non possumus locum IULII CAPITOLINI *aa)* obscurum, quod non rarum est in isto scriptore, et certe in vna voce paulisper corruptum, in quo et nos aliquantum haesimus, iam vero, quid de eo constitutum habeamus, exponere, nostrum duximus. Sunt vero, quae crucem fixere, haec verba:

Circenses et imperii natalis additi, qui a SEVERO postea sublati sunt, et genitiali, qui manent.

Loquitur autem historicus de PVBLIO HELVIO PERTINACE Imperatore, qui imperium Romanum exeunte saeculo post felices Seruatoris natales secundo tenens, ne trimestre quidem spatium expleuit, et postquam SEPTIMIUS SEVERVS, breuissimo tempore interiecto, quo DIDIVS IULIANVS summa rerum potitus erat, ad rem publicam admotus fuit, iubente populo auctoritateque Senatus inter Deos relatus et consecratus est. Inter consecrationis sollempnia, praeter funus censorium, imagini PERTINACIS ductum *bb)*, hoc quoque refert, quod PERTINA-

CI

2) ad L. nostram Tom I. p. m. 143. al. 125.

aa) in Pertinace extr. p. 168. Partis III. scriptorum latinor. minor. historiae augustae a BOXHORNIO Lugd. Batau. 1632. editor, in qua editione capita numeris distincta non sunt.

bb) Censorium eiusmodi funus et alias inuenimus in Principum consecrationibus ductum, veluti in CLAVDIO,

cui TACITVS *Annal. XIII. 2. extr.* decretum esse a Senatu Censorium funus et mox consecrationem refert. Imaginarium autem illud funus est omnino consecrationis proprius ritus, prouti ex HERODIANO constat, cuius de consecratione locum satis longum exhibet KIRCHMANNVS *de funerib. Rom. L. 4. c. 13.* vbi pluribus quoque de hoc arcammento exposuit, eiusque reliquias in Gallia superesse retulit. p. 428.

CI iam Diuo filius suus flamen factus *cc)* huicque *Marciani*, id est, qui DIVI MARCI sacra curabant, sodales additi sint, *Helviani* iam dicti a HELVIO, quod PERTINACIS nomen erat, scilicet quo gens eius denominabatur *dd)*. Quae postquam recensuit, illa, quae dedimus, verba adicit, in quibus tam, quid difficile nobis, quam, quomodo difficultas tollenda videatur, iam paucis exponemus.

Primum autem qui sint *genitiali*, quos mansisse dicit IULIUS noster, omnino quaeritur. Sed in hoc verbo GOTHOFREDVS, (qui, nescio, an operarum vitio, geminata extrema littera edidit: *genitjalii*) mendum suspicatus est *ee)*, substituitque, *genethliaci ff)*. Maiori litterarum discrimine, quam si placeret, *genitales* scribere, quae vox mihi haec legenti in mentem venit, an rectius, feliciusque? videant alii.

Sed sublata hac difficultate, supereft alia, quae, nisi maioris, certe non minoris, videtur momenti esse, eaque latet in sensu totius illius orationis seu versus, quem exscripsimus et proposuimus. Quid enim hoc: Circenses et imperii natales additi? Quomodo hi et genitales dies, si ita loqui licet, *addi* potuerunt? Qua denique ratione illi, Circenses scilicet et natalis imperii a SEVERO Imp. postea *tolli* potuerunt, genitales autem *manere?*

cc) Italicum AVGVSTI, et AGRIP-
PINA CLAVDII flaminicae factae
sunt, ut recte obseruat IVST. LIPSIUS
ad TACIT. *Annal.* XIII. 2. *extr.* vbi
et VELLEII PATERC. locum emendat.
Add. KIRCHMANN. loco, quem dixi,
S. 14. p. m. 433.

dd) Clariore luce illustrantur haec,
quae IULIUS CAPITOLINVS loco illo,
quem indicauimus sub *lit. aa.* scripsit,

si cum iisdem conferre placet, quae
AELIVS SPARTIANVS in *Seuero p.*
188. eiusdem *Partis* et editionis *scri-*
ptor. hist. aug. quas diximus, de eadem
re retulit.

ee) ad L. ii. C. *Theod. de proximis*
(VI. 26.) *Tom II. p. m. 156. al. 157.*

ff) Iunge loco, quem superiori no-
tula indicaui, illum, quem saepius dixi,
Tom I. p. m. 143. al. 125.



manere? Ad quas quaestiones, si qui forte Lecturi, quae facilius aut rectius respondeant in promptu habent, eos veniam dent rogo, cogitentque, saepissime fieri, ut in quo haeret alter, id alteri facillimum videatur. Qui vero mecum in his, quasi obscurioribus paullulum haesitant, iis, quae mihi in mentem ad explicanda ea venerunt, proponam, quae non diutius probabo, quam quousque meliora nondum edoctus sum. Videtur autem mihi haec fere sensisse CAPITOLINVS: Senatus, quum flamen *Diuo PERTINACI* cum sodalibus constituerat, Circenses quoque ludos in eius honorem decreuerat, quos scilicet imago eius praeiret sollempni pompa *gg*), et porro, ut plane sacra *Diuo PERTINACI* facienda ordinaret, instituerat, et natalem imperii, et genuinum, quo utroque, quasi statis diebus, sacra eius fierent. SEVERVS autem, quamuis tum ipse funebri laudatione *Diuum* Imperatorem ornasset, nomenque PERTINACIS, ductus amore boni principis, a Senatu accepisset, tamen, ut erat inconstans, deinceps quod Senatus decreuerat non plene exsequutus est. Nam quamuis in teatro tres ipsi posuerat sellas *bb*), tamen nec Circenses ludos dedit, et alterum dierum PERTINACI sacrorum detraxit, scilicet natalem imperii, solum genuinum ipsius natalem sacrum illi relinquens.

Sed

gg) Istum enim honorem in consecrationibus decerni solitum fuisse, docet GERMANICI Imperatoris exemplum, de quo TACIT. *Annal.* II. 83. refert, Senatum decreuisse: *ut nomen eius saluari carmine caneretur* (quale dicebatur a *Saliis*, id canentibus, *Martis* sacerdotibus, a *saltando* dictis, VARRONE auctore, quod in portandis ancilibus saltare eos mos esset.) *sedes curules sacerdotum Augustalium locis, superque eas querceae coronae statuerentur: ludos*

quis flamen aut augur, in locum Germanici nisi gentis Iuliae crearetur. Vbi silentio praeterire nequeo, quod LIPSIUS ad haec TACITI, apte in rem nostram ex XIPHILINO, exscriptis eius verbis, obseruat, SEVERVM Imp. PERTINACI D. non vnam, sed tres, in teatro posuisse sellas. Idem notat ibidem, honorem praecentis effigiei in ludis diis tantum habitum, et qui diuinos deinde honores meriti videbantur.

bb) XIPHILINO auctore, ut diximus in nota, quae retro proxima est.



Sed ducant nos Circenses illi ad alterum locum iuris nostri, ad quem pauca quoque commentari placet.

C A P. II.

Nam quod ex constitutione, de qua breuiter superiori capite ex instituti-
ratione exposuimus, didicimus, fuisse natales principum olim diebus
iuridicis fastisque exemptos, quod insigne erat honoris ornamentum, id ip-
sum alia firmatur constitutione ab LEONE ET ANTHEMIO Imp-
a. CCCCLXVIII. Constantinopoli ad ARMASIVM Praefectum Prae-
torio data *a*). Quae quidem quum de feriarum diuinarum sanctitate con-
cepta est, omnia, quae aut ad persequendum ius spectant, aut publicae vo-
luptatis causa instituuntur ab iisdem, inprimis a die dominico, arcens, et
cuncta haec poenali sanctione muniens, non integra et tota ad institutum
nostrum atque propositum spectat, sed ea tantum particula, quae dierum
natalium Principum facit mentionem, eamque, vt facilius eius Legentibus
sit inspectio, exscriptam hic proponemus. Imperatores autem, postquam
praeceperant de diei dominici religione ab omnibus iis, quae ad strepitum
forensem pertinent, plane eximenda *b*), ita pergunt:

Nec

a) Est illa a TRIBONIANO nobis seruata in *l. vlt. C. de feriis* (III. 12.)

b) Quare nec citationem recte hoc die insinuari posse existimauerim, nec cum BOEHMERO in *introd. in ius digesti. Tit. de in ius voc. §. 16. lit. γ.* putauerim, huius legis prohibitionem spectare tantum ad citationem a praecone apud Romanos ipso die comparitionis faciendam, distinctam ab in ius voca-

tione, in cuius locum hodie successit, quam in foro dicunt, citatio, quum hoc die non tantum *apparitio tacere, et praeconis horrida vox silescere* iubeatur; verum quoque ne *vlla quemquam urgeat admonitio, vt respirent a controuersis litigantes et habeant foederis interualum*, nec vllis *exactionum vexationibus feriae diuinae profanentur* constitutum sit.



Nec huius tamen religiosi diei otia relaxantes, obscenis quemquam patimur voluptatibus detineri. Nihil eodem die sibi vindicet scena theatralis, aut Circense certamen, aut ferarum lacrimosa spectacula; et si in nostrum ortum aut natalem celebranda sollemnitatis inciderit, differatur.

Digna sane imperatoriae maiestatis sanctitate constitutio. Nam, quam quis forte ex eo, quod supra vidimus, natales dies Principum, iuridicorum dierum numero exemptos fuisse, relicto in eodem natali diuini Seruatoris nostri die, aliisque non nullis, quos iam tum christiana sacra profitentium coetus, rebus diuinis peragendis dicauerat, concipere poterat suspicionem, maiorem natalium principis, quam religiosorum dierum in iure nostro esse reuerentiam, eam hac ipsa sanctione, certe ab his temporibus, quae sunt iis, quibus prior constitutio emanauit, octoginta annis recentiora, optime auerti et remoueri posse sentio. Ex ea enim manifeste adparet, sollemnitates natalium Principum cedere debuisse feriarum diuinarum religioni.

Sed ne quis forte putet, ambabus nos manibus arrepturos esse, datam proposita hac lege occasionem, differendi de quaestione ad usum fori accommodata, qua quaerunt, et contendunt adeo atque disceptant inter se prudentes: an hodie in feriis diuinis publica spectacula, ludosque theatrales hominum in scenam prodeuntium edere liceat? Quin potius, haec talia ab instituti nostri ratione plane aliena quaerentem ablegamus ad CARPZOVIOS ^{c)}, BRVNNEMANNOS ^{d)}, STRYCKIOS ^{e)}, alios.

Nos quidem ex hac constitutionis, quam proposuimus, particula paucis videbimus de festiuis sollemnitatibus in natalibus principum, tam genuinis, quam imperii, celebrari solitis, quales celebratas olim quoque hisce diebus

^{c)} vid. CARPZOVII *iurisprud. ec-* m. 1, §. 10.

cles. L. 2. def. 253.

^{e)} STRYCK *vs. mod. pandect. tit.*

^{d)} BRVNNEM. *ius eccles. l. 2. c. 1. de feriis §. 7.*

diebus fuisse, non tantum ex hoc loco sed et ex variis aliis librorum nostrorum satis adparet. Sicuti autem legis nostrae pars, quam exscripsimus, docet, festiuitates has et sollempnitates eius generis quoque hisce diebus fuisse proprias, cuius diebus dominicis et feriis diuinis edere non licebat, eamque ob causam constitutum esse hac lege nostra, si forte eueniret, vt dies natalis Principum incideret in diem dominicum, aut alium religionibus dedicatum, sollempnitates illas differri in alium debere, eumque proximum forte diem, quo eas celebrare fas erat, ita ex hac ipsa constitutione non leuis et inanis ducitur coniectura, ipsas illas festiuitates, quarum in eadem mentio fit, vt talium, qualibus feriarum diuinarum religio profanari putabatur, his ipsis natalibus diebus fuisse proprias.

Ita, vt de singulis illis sigillatim despiciamus, ludi scenici et theatrales primum hoc loco occurrunt. Hos autem diebus natalibus Principum edi consueuisse, manifeste testatur A R C A D I I Imp. rescriptum ad praefectum vrbi, quod seruatum habemus inter fragmenta Codicis Theodosiani f) his verbis:

Nuper quidem huiusmodi praecesserat sanctio principalis, vt theatralis per praetores facienda depensio in aquaeductus fabricam verteretur, nunc vero iusta moderatione facias custodiri, vt praetores Romanus et laureatus natalibus nostri numinis scenicas populo praebeant voluptates.

Quae quidem scenicae voluptates eadem sunt, quae festiuitatum nomine insigniuntur ab eodem Imperatore, dum simile quid praecipit in natalibus fratris H O N O R I I obseruandum hunc in modum g):

Ex quinque praetoribus, qui aquaeductus b) Theodosiaco fuerant deputati, unum, qui centum librarum argenti munificentiam suam desti-

f) vbi est L. 29. de praetoribus et quaestor. (VI. 4.)

b) omnino legendum rectius; aquaeductui,

g) Est haec l. 30. C. Th. d. 1.

nita erogatione praeccludit, aeterni principis ac fratris mei HONORII natalium festiuitatibus praecipio deputari,

Adparet ergo ex hisce constitutionibus, ARCADIUM Imp. iussisse, vt praetores editionum, id est ad edendos ludos instituti *i*), postquam suspensis et sublatis ad tempus editionibus, erogatio in fabricam aquaeductus a THEODOSIO *M. l*) instituti, indeque *Theodosiaci* nomine insigniti, facta erat, diebus natalibus, quos in plurali numero nominatos ideo censet GOTHOFREDVS *m*), vt vterque, tam imperii, quum genuinus, designaretur, et sui Numinis *n*)', et fratris HONORII, populo praeberent consuetas alias scenicas voluptates seu ludos. De ipsis autem illis ludis scenicis seu theatralibus, eorum variis generibus, comedia

i) quare editores dicuntur L. 5. 7. (VI. 4.) Tom. II. p. 66.
31. d. 2. C. Th. et editores munerum seu ludorum L. 18. *ibid.* munera enim hoc sensu pro ludis istis dici demonstrant L. 1. et 4. *ibid.* et ita intelligendus quoque est SVETONIVS, dum in *Iul. c. 26. munus*, inquit, *populo, epulumque pronunciauit.* Add. *Eund. in Octav. c. 43. ibique Cl. ERNESTI lit. b.*

l) qui et aquaeductum *Valentiacum* instaurauit, de quo L. 3. et 4. C. *Theod. de aquaeductibus* (XV. 2) quarum postrema legitur quoque in C. *Iust. repet. prael. Tit. de aquaeductu* (XI. 42.) vbi est numero secunda vnacum L. 23. C. *Th. de Operib. publ.* (XV. 1.)

m) not. *h. ad L. 29. et not. d. ad L. 30. C. Theod. de praetoribus et quaest.*

n) Satis notum est *numinis* adpellationem frequentissime sibi Imperatores tribuere, vt numen idem sit, quod maiestas. Quare notissima illa et sollemnis formula: *deuotus numini maiestati-que eius.* Et sicuti nouum non est, magistratibus romanis, et imprimis praetori, in libris nostris maiestatem tribui, de qua re eleganter et peculiariter exposuit Cl. HOMMEL, ita LIVIVS VIII. 34. *numinis* vocem etiam aliqua ratione ad *dictatorem* transfert, cuius edictum *pro numine semper obseruatum* dicit. Est autem a *nuo* numen, vt flumen a *fluo*, vt tamen semper ad maiorem potestatem referatur. Ita LIV. VII. 37. *Annuite*, inquit, *Quirites nutum numenque vestrum inuictum Campanis.*



moedia scilicet, tragoedia, satira et mimo ^o), horumque omnium ratione, ipsoque theatro, eiusque variis partibus, scena videlicet, profcenio, postscenio, pulpito, et orchestra hoc loco exponere nimis sane longum foret, et ab instituto nostro plane alienum.

Deinde Circensis certaminis quoque fit mentio in lege nostra. Et sane non est dubitandum, circenses quoque ludos natalibus principum fuisse editos, quum varia sit huius rei apud veteres auctores commemoratio ^p). Quamvis autem *certamen* tantum circense in hac lege nostra occurrat, tamen hoc non est ad id solum genus ludorum circensium restringendum, quod *athleticum*, quia Graecis ἀθλος est certamen, vel *Gymnicum* vocatur a graeco γυμνός, quia nudi, solis pudendis subligaribus velatis, certabant cursores, pugiles et luctatores, quippe qui ad hoc genus referuntur, sed et reliqua circensium ludorum genera, veluti cursus equorum, cui imprimis circensium adpellatio adhaesit, ludus Troiae, venatio, pugna et pedestris, et equestris, et naumachia hoc nomine comprehenduntur,

^o) Praeter IUL. CAES. SCALIGERVM in *Poëtica* I. 5. et 6. qui de his omnibus exposuit, imprimis ISAACI CASAVBONI de *satira* liber notari meretur.

^p) Ita AEL. SPARTIAN. in *Hadriano* p. 12. Part. III. *script. histor. aug. minor*, a BOXHORN. edit. *Ludos Circenses*, ait, praeter natalicios, decretos sibi spreuit. SYMMACHVS L. IV. *Epist.* 8. de equis loquitur ob natalem HONORII largiendis, licet hoc anno

obsequii istius tempus effluxerit, quamvis haec aliter intelligi possint, de qua re infra *Cap. V.* Multa idem quoque profert de spectaculis theatralibus. Imprimis autem huc spectat AMBROSII Episcopi locus in *orat. de obitu Valentiniani Imp.* n. 6. Tom. III. *Operum Basil.* 1555. editor. pag. 5. vbi: de Valentiniano ferebatur primo ludis circensibus delictari. Sic istud aliter sit, ut ne solemnibus quidem Principum natalibus vel imperialis honoris gratia circenses putaret esse celebrandos.

D



henduntur, quum his omnibus, quibus fere notissimi illi circenses ludi absoluntur, aliquid certaminis insit, quare et singula haec genera ludorum sub certaminis nomine non infrequenter apud veteres auctores occurrunt.

Certe de venatione quod diximus, quamvis de hac maxime dubitari posset, (quum, quam CENSORINVS 9) ex VARRONE profert, ratio, ob quam hostiam die natali faciendam non putauerint veteres, scilicet, *ut manum a caede ac sanguine abstinerent, ne die, qua ipsi lucem accepissent, aliis demerent*, hanc sollemnitatem quoque a die natali arcere videri poterat) tamen probari potest, non tantum ex lege nostra, sed et ex veterum scriptorum monumentis. In constitutione enim, quam nostram vocamus, quia eius particulam hoc capite exponendam proposuimus, *lacrimosa ferarum spectacula* manifeste nihil aliud sunt, quam haec venationis circensis sollemnitas, quam constat in pugna ferarum constituisse, qua scilicet hae vel inter se, vel cum hominibus, bestiarum ideo vocatis, pugnabant, vel a populo iaculis interficiebantur, quamvis interdum quoque, aut sola ostentatione tantum et traductione ferarum per circum, aut lusu ferarum manuefactarum aliarumque absolueretur. Sed praeter huius legis nostrae auctoritatem, docet hoc quoque AELIVS SPARTIANVS 10), qui de HADRIANO Imp. *gladiatorum munus, inquit, per sex dies continuos exhibuit, et mille feras natali suo edidit*. Huic iungo luculentissimum DIONIS Cassii testimonium, interprete LEVENCLAVIO his verbis conceptum 11): *Post haec theatrum MARCELLI AVGVSTVS dedicavit, ludisque eius rei gratia factis Troiam, inter alios patricos pueros, nepos AVGVSTI, CAIVS ludit*. (En Troiae ludum! de quo paullo ante diximus.) *Natalem AVGVSTI diem IVLIVS ANTONII P. praetor eque-*
stri

9) CENSORIN. *de die natali c. 2.*
f. 2.

10) DIO. CASS. *Lib. 54. ex Edit*
IOA. LEVENCLAVII, quae prodiit

11) Locum diximus supra sub lit. p. *Francof. 1592. pag. 538. lit. D.*

stri certamine et venatione celebravit, et ex Scto epulum AVGVSTO et Senatoribus dedit. Sed et alio loco ^{z)}, vbi sollempnia natalicia c. CALIGVLAE Imp. narrat, multa ad rem nostram facientia refert, quae exscriptum infra ad calcem paginae in margine. Idem quoque multa refert de immani venatione a COMMODO Imp. ad celebrandum natalem suum instituta ^{u)}.

Caeterum, quod inprimis hac legis nostrae particula, in qua explicanda versamur, constitutum est ab Imperatoribus christianis, vt si dies natalis Principis in diem aliquem feriarum diuinarum incideret, eius sollempnis celebratio differretur, eius rei simile vestigium sed gentilitiae super-

^{z)} Lib. 59. pag. 64. sqq. edit, quam diximus *lit. D.* vbi, quum de spectaculis agit, quibus c. CALIGVLA templum AVGVSTI dedicauit, haec habet: (Dabo enim, licet paullo longiorem, locum, ob multa, quibus refertus est, notatu digna). Nam et omnis generis musica introducta, et equi certarunt duobus diebus, priore vicies, posteriore, natalis enim erat CAII, vicies quater. — — vsae quoque tum ab eo CCCC. ac totidem aliae ferae Africae sunt interfectae. Patricii pueri Troiam luserunt, sex equis tractus est currus triumphalis, quo Caius vehebatur. Ac ne illi excusatio esset non veniendi in theatrum, nam aegerrime ferebat, si quis abesset, aut spectaculo nondum finito discederet, iustitium indixit. (Id quod spectat ad id, de quo superiori capite

exposuimus) luctus inhibuit, ita, vt liceret viduis nubere intra constitutum quondam tempus, siquidem non essent praegnantes. Interdixit etiam id, quod alias receptum erat, vt obuui in viis Imperatorem salutarent, quo nimirum facilius ad theatrum iri posset. Permisit quoque, vt qui vellent discalceati spectarent. — — Tunc etiam primum senatoribus, ne nudis asserebus insiderent, puluinaria subdita vsusque pileorum Thessalicorum concessus in theatris, ne solis ardore laborarent, qui sicuti esset vehementior, diribitorio pro theatro vsi sunt. Obiter hic moneo de puluinaris in spectaculis vsu conferri posse duos VETONII loca in Octav. c. 45, et in Claud. c. 4, et ad priorem Cl. ERNESTI *lit b.*

^{v)} Lib. 72. p. m. 833.

perstitutionis, in prima antiquitate inuenimus, quod itidem DIONI ^{x)} acceptum ferimus. Is enim, ubi loquitur de die natali IULII CAESARIS ex Senatus decreto *post mortem eius celebrando*, (quae ipsa res hunc locum notatu dignum efficit) haec quoque addit: *Ac quoniam die Caesaris natali, apollinares ludi fiebant, pridie eius diei natalicia Caesaris peragi iusserunt, quod Sybillino oraculo interdictum esset, ne ea dies alii cuidam Deo, praeter Apollinem, festa esset.* Et pari ratione, ubi de natalibus parentum a CLAUDIO celebratis refert, ^{y)} expresse memorat, transfuisse eum ludos, *qui in eos dies incidissent, in aliud tempus, ne simul fierent.* Pauloque post haec adiicit: *Hos honores parentibus suis tribuens, ipse nihil praeter nomina imperii accepit. Quae enim equestria certamina Kalendis Augusti, qui est natalis CLAUDII exhibentur, instituta sunt propterea, quod ea die Martis aedes consecrata fuit.*

Et haec sufficiant ad propositam legis particulam ex instituti ratione explicandam.

CAP. III.

Sicuti autem superiori capite praeter illam, quam in primis illustrandam proposueramus, legis partem, duas alias constitutiones, ex Codice Theodosiano desumptas, simul qualicumque commentatione nostra illustrauimus, ita iam hoc capite non id agemus, ut ad singularem aliquem iuris nostri locum speciatim commentemur, sed quum hunc quoque honorem natali principum genuino habitum fuisse in libris nostris inueniamus, ut hi dies statuti essent auspicales honorum obeundorum, quae huius rei haec nobis festinanter iam scribentibus, obueniunt, et quasi se offerunt testimonia ex libris nostris, magis, ut firmemus hunc, quem diximus, ritum, quam, ut ipsa ea clariore luce illustremus, in medium proferre placet.

Primo

^{x)} Lib. 47. p. m. 340. B.

^{y)} Lib. 60. p. m. 665.

Primo loco autem exhibeamus pauca verba ex oratione CONSTANTII Imper. quam in Senatu legit a CCCLVI. a. d. VII. Iduum Maii *a)*, de designationum ac nominationum praetorum forma *b)*, ea scilicet, quibus tempus harum designationum definiuit, hunc in modum *c)*:

Die natali meo CONSTANTII A. Id. Augusti ac deinceps designationibus curiam operam dare sancimus. Quodsi forsan dies unus alterue non sufficit, tot haec utilitas occupat, quot esse monstraverit necessarios negotii magnitudo.

Quilibet videt, id, cuius caussa haec produximus, ex hisce verbis perspicue fati adparere. Reliqua, quae quaeri poterant de ipso die natali CONSTANTII ab aliis aliter definito, et vtrum ipsum Imperatoris nomen ferendum, an delendum sit, nec adeo nos tangunt, et fati exposita sunt a GOTHOFREDO *d)*, qui ipse quoque obseruauit, Imperatorem insequenti anno pridie Id. Augusti, ideoque die proximo ante, quam

a) Quod contra institutam ab AVEUSTO rationem factum fuisse obseruat GOTHOFR. ad L. 8. C. Th. de praetoribus not. lit. e. Tom. II. p. m. 40. al. 41. quum ille, auctore SUTTON, in Octauiano c. 35. instituit, ne plus, quam bis in mense, legitimus senatus ageretur Kalendis et Idibus. De quo tempore statuto cocundi senatus diligenter quidem quaesui, quid annotasset CL. MICH. CONR. CVRTIUS in elegantissimis, quos *Haellae* et a. 1769. *Geneuae* edidit, de *senatu Rom. post tempora rei publicae liberae commentariis*, sed aut nihil notauit hac

de re, aut in locum, quo de hac re scripsit, non incidi. Iuris senatum cogendi, quod Imperatoribus competeat, Lib. I. c. 4. §. 18. p. 23. binis quidem mentionem iniecit, sed de tempore, huic rei statuto, nihil memorat.

b) Quae oratio in tres leges scil. 8. 9. et 10. C. Th. de praetoribus et quaestor. (VI. 4.) dissecta, ex his, quasi partibus, consui integra potest.

c) Verba sunt legis IO, quam diximus, initialia.

d) In *Comment. ad has LL. Tom. II. p. m. 41. extr. sq. al. 43.*



quam Senatus ex hac constitutione ad designationes faciendas coire debebat, orationem in senatu de eodem argumento legisse e).

Caeterum quod satis ex hac lege adparet, CONSTANTIVM Imp. intellexisse natiuitatis, non imperii suscepti diem anniuersarium, id in simili argumento expresse quoque determinauit HONORIVS Imp. qui rescripto dato a CCCLXXXVII. ad HADRIANVM, magistrum officiorum, quippe sub cuius dispositione omnia erant sacrorum scriniorum quatuor genera, memoriae nempe, epistolarum, libellorum et quod prioribus ab ARCADIO aequatum, dispositionum, tempus definiuit inchoandae dignitatis proximi scriniorum hac quidem ratione, hisce verbis f):

Atque g) nulla posthac de statuto tempore possit esse contentio, genuinus natalis nostri dies quotannis comitiuam proximitus mansura in longum aetate celebrauit: (pro: celebrabit) ut expeti ambitione non possit, quod laboris praemium speciale manere aestimauimus.

Scilicet, vt postrema verba ex initialibus huius legis explicemus, constituerat Imp. vt proximitus honor (quem comitiuam dicit, quia comitum dignitate ornabantur, qui nomen proximorum ex eo habebant, quod proximi erant magistro scriniorum, qui iis praecerat, qui in tribus prioribus, quae diximus, scriniis militabant) anno tantum contineretur, et ad singulos secundum temporis ordinem, quo militauerant in scriniis, perueniret b).

Haec

e) Vid. L. II. ibid. ad eamque GOTHFR. THOFER. *lit. m.* et in *Comment. ab initio*, Tom. II, p. m. 43. al. 45.

f) Verba sunt extrema legis II. C. Th. *de proximis, Comitibus dispositionum caeterisque, qui in sacris scriniis militant.* (VI. 26.)

g) rectius legitur; *utque vid. GOTHFR. ad l. I. lit. e.* Tom. II, p. m. 155. al. 156.

b) Verba illa initialia haec sunt: *Per omnia scrinia nostra singulis annis emensis, qui sunt in capite constituti, uno anno teneant proximitum, locum per ordinem succedentibus dantis.*



Haec quae de tempore auspicali promotionis ad proximum HONORIVS in Occidente constituerat, diferte quoque huius ex fratre nepos THEODOSIVS *Iun.* a. CCCCXVI. in Oriente in tribus scriniis memoriae, epistolarum, libellorumque seruari iussit hisce verbis *i*):

Ita, ut ex lege iam debitos atque sollemnes Codicillos (scilicet secundi ordinis comitiuae, quam paullo ante proximis concesserat) genuino die natalis meae clementiae in posterum, dum agunt proximum, singulis quibusque annis accipiant,

Idem quoque eodem anno hunc in modum constituit, ad eandem legem respiciens et se referens *l*):

Ad similitudinem sanctionis, quam de proximis sacrarum promulgauimus scriniarum, etiam in officio sacrarum largitionum atque priuarum, pro biennio annum sub perpetua obseruatione praecipimus custodiri in m) venerabili Natali perennitatis meae THEODOSII ad exemplum proximorum, annus suscipiat exordium promotionis etc.

Sed iam antea, scilicet a. CCCLXXXI. THEODOSIVS M. felici natali suo, ut principes officiorum ex schola agentium in rebus, ita et curiosos in prouinciam mitti iusserat *u*). Scilicet erat *agentium in rebus* schola i. e. confortium quoddam, ut caeterorum, qui in palatio Imperatoris militabant, qui missionibus eius parebant *o*), seu varia negotia executionesque in prouinciis, in quas mittebantur, perficiebant, et ita

Prin-

i) Quae sunt ex media lege 17. C. vid. БОТН. ad. h. L. not. lit. d. Tom. Theod. d. t. desumpta. II, p. m. 220. al. 224.

l) Vid. L. 21. C. Th. de palatinis sacrarum largition. et rer. priuat. (VI. (VI. 29.)

o) Ita est in L. 4. C. Th. de agentibus in reb. (VI. 27.)

m) Lege potius, vel: et, vel: ut, *bus in reb.* (VI. 27.)

Principis iussis obsecundabant *p*), quorum primus dicebatur *princeps*. Ex iisque erat quoque *curiosus*, qui cursum publicum, quippe agentibus in rebus ad missiones suas concessum, regebat et gubernabat, de quibus singulis copiosius exposuit et solita, i. e. summa, diligentia GOTHOFREDVS *q*).

Plura autem, quae in hunc censum referamus, iuris loca, nobis non suppetunt, neque, si forte adsunt, opus est, ut omnia proferamus, quum haec, quae adduximus, ad propositum nostrum sufficiant. Quare potius alia pauca addamus.

CAP. IIII.

Votorum scilicet pro salute Principis factorum sollemnitas tanti omnino nobis videtur, ut de eadem, non quidem ex instituto agamus, id enim neque fines libelli huiusce permittunt, nec propositi rationi conuenit, nec denique, ne quid dissimulemus, commode et, uti debebat, a nobis fieri ob defectum praesidiorum potest, quibus non satis instructi sumus, quum bibliothecae penuria varios ad hanc rem spectantes libros nobis inuideat, sed pauca tantum tangamus et quasi delibemus.

Primum autem, dum votorum faciendorum sollemnitatem consideramus, non superfluum videtur, monere, vota hic duplici illo sensu, qui huic verbo tribuitur *a*), utroque simul et coniunctim intelligi. Sicuti enim obscurum non est, a *vouere*, quod est Deo sancte quid promittere seu polliceri, votum inprimis dici, tum actum, quo quid uemus

p) uti est in *L. 9. C. Th. de cursu publ. Theodosiani.*
(VIII. 5.)

a) Quem duplicem sensum germanico et patrio idiomate per voces *Geluebde* cum duobus sequentibus *Libri VI. C.* et *Wunsch* exprimere solemus.

uemus *b*), tum id ipsum, quod vouetur, qua ratione maxime quoque et potissimum hoc loco vota intelligenda veniunt, ita, quia vouere quid Deo solebant veteres maxime, vt quid, quod optabant desiderabantque, obtinerent *c*), ex eo factum est, vt votum etiam denotaret tam actum illum, quo, quod desideramus, pie a Deo precamur, quam id, quod petimus, et ipsum adeo animi desiderium ad hoc directum, quae quoque vis huius vocis priori, quam diximus, hoc loco quasi iuncta interdum esse videtur.

Ex quo, quod secundo loco obseruamus, intelligi commode iam poterunt verba illa varia, quae in votis faciendis, quasi solemnia adhiben-

b) Ita, licet voti sollemnitas absit, vouere occurrit apud veteres, veluti apud CIC. *de finib. b. et m. V. 22. extr. s. 64.* vbi, *nostri imperatores*, inquit, *pro salute patriae sua capita vouerunt, i. e. se ipsos vitae periculo exposuerunt.* Adeo enim amarunt populum, patriamque, ita interpretor, vt nec vitae pericula sibi imminencia extimescerent, sed lubentes ea potius pro patriae salute subirent, quasi Deo semet ipsos vitamque suam vouissent. Caeterum, quod obiter hoc loco obseruamus, *semetipsum* Deo, etiam cum sollemnitate, vouere, nouum et inauditum non est, sed vulgatissimum, hoc sensu, vt quis se religionum causa totum Deo dedit et veluti mancipet. Hunc in sensum *votum christianae legis* intelligendum esse in *L. 16. C. Th. de episc. eccles. et*

clericis (XVI. 2.) quae in *Decretum Gratiani* translata exstat in *c. 23. C. XXIII. qu. 8.* vbi tamen pro *legis*, legitur: *religionis*, aduersus BARONIVM docuit GOTHOFR. *ad h. L. Tom. VI. p. m. 49. al. 44. extr.*

c) Ita CIC. *de nat. Deor. I. c. ult. s. 122.* egregio loco: *Hominum caritas*, inquit, *et amicitia gratuita est.* (De hac enim re paullo ante optime exposuerat, ne amicitiam ad fructus nostros referremus.) *Quanto igitur magis Deorum? qui nullare egentes, et inter se diligunt, et hominibus consulunt. Quod ni ita sit, quid veneramur, quid precamur deos? cur sacris pontifices, cur auspiciis augures praesunt? Quid optamus a Diis immortalibus? quid vouemus?*

E

hibentur a Romanis, quorum explicandorum periculum faciamus, subtimidi quidem, quum, quem sequamur hac in re, non habeamus, praeter BRISSONIVM *d)*, qui tamen, ut solet, magis collegit haec varia verba, veterumque auctoritatibus firmavit, quam plane ea digessit et curate concinneque explicavit. Quare sola verborum proprietate et usu, quantum de his nobis constat ex veterum auctorum lectione, innitendum nobis erit. Qua quidem in re, si forte peccabimus, veniam non tantum non difficulter impetrabimus a peritis harum rerum, quippe qui optime sciunt, quam facile sit, labi in hac via sine duce ambulanti, verum quoque spem alimus maxime nobis iucundam, fore, ut qui haec legunt intelligentes, quae minus recte exposita vident, corrigant et emendent, melioribusque et rectoribus propositis errantes nos in viam reducant. Sunt autem, ut rem adgrediamur, sollemnes, quas inuenimus in hoc genere, verborum formulae Romanorum hae fere: vota facere, nuncupare, concipere, dictare, suscipere, ceris figere, signare, pendere, soluere, persoluere, dissoluere, reddere; quibus accedunt hae: vota rata, valida, caduca, ut et hae: voti reus, compos, damnas fieri, voto liberari. Quae quum multae sunt, dabimus operam, ut breuiter eas et succincte definiamus. Vota autem dum pro aliqua re fiebant, quod in multis sane rebus accidebat *e)*, pontifex maximus *f)* ea *dictabat* *g)*, i. e. ex periculo, seu scripto, recitabat sollemnem formulam voti *concepti*, iis, qui vouere vel-

d) in praestantissimis suis et multae bonae frugis plenis *de formulis et sollemnibus populi romani verbis libris octo*, de quorum repetita praelectione, post FRANC. CAR. CONRADI, insigniter meritus est IOA. AVG. BACHIVS, cuius praematuram mortem lugent cum THEMIDE, qui diligunt elegantiores litteras. Quae huc spectant, inuenies

Lib. I. c. 159 — 180. p. m. 86 sqq.

e) v. c. pro salute et incolumitate principum, pro salute et reditu eorum, de quibus sing. libello eleganter exposuit ὁ πάλυ ΑΥΡΕΡ, ut res publica eodem statu staret, belli pacisue causa, pro aegrotantibus, in naufragio et id genus plura.

f) vid. LIV, XXXVII. 28.



lent, hique dum verba ista ex ore eius prolata sublati in coelum manibus *b)*, vti mos erat precantium, aut repetebant, si singuli erant, qui vouebant, aut iis adsentiebant tantum, si multi erant, *praeunte* illo vota *suscipisse* dicebantur *i)*, quo facto *nuncupata* erant vota *l)*, licet *suscipere* vota etiam tam late accipiatur saepissime, vt integrum hunc actum *faciendi* vota complecteretur *m)*, *facere* enim vota procul dubio omnem vouendi ritum continet *n)*, sicuti et *nuncupare* interdum vouentibus tantum, dum sequuntur voce sua ore *praeuntem* pontificem, tribui videtur *o)*. aut dictanti pontifici *p)*. Factis autem his votis, quippe ad pollicitationum genus pertinentibus, quum obligatio vouenti contrahebatur, praestandi id, quod vouerat *q)*, neque mirum esse potest, vocabula *soluere*, *dissoluere*, *persoluere*, *reddere*, *liberari*, quae ad debita, dum exstinguuntur, pertinent, hic adhiberi, neque obscurum videri, quid hisce verbis in votis denotetur *r)*. Quum porro *reus* dicatur Romanis, vt nemo ignorat, qui quid debet, ex hac ipsa ratione, quis *voti reus* adpelletur? fati perspicitur. Quare intelligitur quoque, quae vis ac potestas sit formulae consuetae: *merentibus s. meritis diis soluere et reddere vota*, et illius: *votum soluit libens merito*, quae litteris

singu-

g) VALER. FLACC. *Lib. I. Argo-* locus.
naut. v. 685.

h) LIV. XXX. 21. SENECA *de be-*
nef. III. 4. OPI tamen *sedentes* terram-
que, cuius Dea ea credebatur, manibus
tangentes, vota nuncupabant, MACROB.
Saturn. I. 10.

i) LIV. XXXXI. 21. et XXXXII. 28.

l) PLIN. *Epist. X. 45.* FESTVS. v.
nuncupata.

m) PLIN. *Epp. X. 44.* SVETON. *in*
Octav. c. 97. qui maxime notabilis est

locus.
n) FESTVS. v. *nuncupata* CIC. *pro*
Mil. c. 28. s. 76. SENECA *de benef.*
II, 2.

o) LIV. XXXVI. 2.

p) VAL. MAX. VIII. 13.

q) Vid. BYNCKERSHOECK *obser-*
uat. VI. 13.

r) Hinc vota *suscipere* aut *nuncupare*
et *soluere* sibi opponuntur apud PLIN.
X. 44. 45. 101. 102, et SVETON. *in Octav.*
Aug. c. 97.

singulorum verborum initialibus tantum positus, quasi notis, in lapidibus occurrit. Scilicet quae Diis soluebantur, quum debita erant, vota, ipsi dii merebant, iisque merentibus omnino etiam *libenter* solui debebant. *Compos voti* autem is dicitur, secundum vim vocis, qui voti, id est eius, quod optabat, cuiusque causa vouerat, copiam consequutus est, is vero, donec, quod vouerat, soluerat, *damnas* erat *voti*. Damnaus voti enim proprie is est, qui expleto desiderio suo, iam quoque votum soluere tenetur seu damnas est. Quod quum supponat factum id esse, quod vouens optauerat, facile intelligitur, quare saepissime ita occurrat haec loquutio, ut fere idem denotare videatur, quod *voti compos*. Quod qui vident, nec animum aduertunt ad diuersam, quam ante diximus, vocis *voti* potestatem, (quippe quae, si voti quem compotem dicimus, denotat id, quod desiderauimus, precatique sumus, contra vero designat id, quod precatus quis vouit, dum voti damnatum quem vocamus,) ii difficulter in hac, quam postremo loco diximus, loquendi formula propriam vocis *damnare* significationem agnoscent s). Ut vero intelligamus, quid sit *vota cera figere*, et *signare*, opus est tantum, ut sciamus, in nuncupandis votis publicis non tantum custodes esse adhibitos t), verum quoque vota, dum nuncupata erant, statim praesentibus hisce in tabulas relata u), quae tabulae, votinae inde dictae, signabantur x), sed et vota, ut puto priuatorum, in statuas imaginesque Deorum, et quidem in femore genue deorum

s) Ipse GESNERVS in thesauro Stephaniano f. v. damno nr. 3. hanc loquutionem ad eas refert, quae a sollempni verbi huius significatione aliquantum recedant. Magis rem tetigit BRISSON. L. c. c. 168 licet varia, quae profert, loca SERVII rem magis implicare, quam explicare videantur,

t) PLIN. hist. nat. XXVIII. 2. SENECA de clement. I. 19.

u) SVETON. in Octav. Aug. c. 97.

x) huc respicit PLIN. Epist. X. 44. Signabantur enim huiusmodi tabulae quoque dum soluebantur vota. BRISSE, L. I. de form. c. 172.

deorum annulo obfignari confueuiffe, docet BRISSONIVS *y)* multis exemplis. Porro quum votis factis precabantur, vt Dii velint, quod desiderarent et cuius cauffa vouiffent, concedere *z)*, idque fi fieret, *valere vota aa)*, fin minus *cadere ea bb)*, dicebant, quilibet videt, quae fint vota *rata irritaque, valida et caduca*. Denique *pendere vota* dicebantur, dum et tabulae votivae inprimis naufragio feruatorum, quibus ifti cafus, periculaque picci erant *cc)*, et ipfae veftes votae *dd)*, fufpendi in templo *ee)*, vel alio loco *ff)* folebant. Obiter quoque adiicimus, *fauere votis*, effe votis facerdotum tacendo et mente accedere *gg)*.

Vouebantur autem votis publicis nuncupatis, ludi, conuiuia, munuscula, vti eleganter docuit GOTHOFREDVS *bb)*, qui huius rei vltierius exponendae nobis otium fecit, haecque ipfa, quae vouebantur votorum publicorum nomine veniebant. Et hos feftos conuentus ludosque et conuiuia, quando exigunt publica vota, HONORIVS, fummotis iam profanis ritibus, fingulari conftitutione *ii)* permiffit in *Africa* a. CCCLXXXVIII, fed nouem annis poft idem quoque prohibuit *ll)*.

Voto.

- | | |
|--|--|
| <p><i>y)</i> BRISSON. L. I. de form. c. 176.
 <i>z)</i> OVID. Metam. IX, 702.
 <i>aa)</i> TIBVLL. Eleg. II, 2, 17.
 <i>bb)</i> PROPERT. Eleg. 1, 17, 4.
 <i>cc)</i> CIC. de nat. Deor. III. 37. TIBVLL. Eleg. I, 3, 27.
 <i>dd)</i> VIRGIL. Aeneid. XII, 768. HORAT. Carm. I, 5, 13.
 <i>ee)</i> TIBVLL. Eleg. I, 3, 27.
 <i>ff)</i> PROPERT. Eleg. IIII. 13, 17. TIBVLL. Eleg. II. 5, 29.</p> | <p><i>gg)</i> Ita COLLESIVS explicat ad MARTIAL. Epigr. X, 87, 2.
 <i>bb)</i> ad L. 8. C. Theod. de paganis sacrificiis et templis (XVI, 10.) Tom. VI. p. m. 302. fq. al. 269. fq.
 <i>ii)</i> L. 4. C. de pagan. et sacrificiis et templis (I, 11.) quae est L. 17. C. Theod. (XVI, 10.)
 <i>ll)</i> L. 19. C. Th. d. r. Vid. omnino GOTHOFR. et ad hanc et inprimis ad L. 17. Tom. VI, p. m. 316 — 319. et, 322. extr.</p> |
|--|--|

Votorum autem publicorum pro salute principis sub auspiciis anni factorum luculentissimum in Pandectis TRIBONIANI exstat CAII ICTI testimonium *mm*), quo :

Post Kalendas Ianuarias die tertio, inquit, pro salute principis vota suscipiuntur.

De quo die, licet alios auctores eum quoque nominantes adducat, ob aliorum scriptorum loca, dubius fere factus videtur IVST. LIPSIUS *nn*). GOTHOFREDVS autem ita conciliare videtur, ut *nuncupata* quidem vota pro salute principis et *suscepta* esse dicat hoc die, qui ipse etiam voti nomine designabatur, ipsas frenas autem, quae vouebantur isto die, scilicet in annum proxime sequentem, oblatas esse Kalendis Ianuariis, ideoque hoc die *soluta* vota, ut ideo ipsae frenae illae vota dicerentur *oo*). In his votis nuncupatis praestabatur quoque iusiurandum sollemne in acta Imperatorum, ut praeter DIONEM *Cassium pp*) TACITVS *qq*) nobis auctor est.

Sed et die natali imperii Principum huiusmodi sollemnia vota in usu fuisse dubitari non potest. Ex eo enim sunt quinquennialia illa et decennialia vota *rr*), singulis lustris et decenniis pro imperio facta, antiquif-

mm) Vid. L. 232. §. 1. D. de V. S. *nn*) in *Excursu B. ad TACITI Annal.* XVI. 22.

oo) Ita intelligo GOTHOFRED. ad L. 1. C. Tb. de oblatione votorum (VII, 24.) Tom. II. p. m. 459. al. 448. iuncto altero loco, quem nominaui sub *litt. gg.* qui hanc legem *z.* quae interpolata quoque a TRIBONIANO exstat in L. vn. C. de oblat. vot. (XII, 49.) de frenis illis, Kalendis Ian. Imperato-

ribus oblati, ex instituto OCTAVII, de quo SVETON. in *Oct.* c. 57. interpretatur, ab iisque distinguit vota nuncupata et suscepta post Kal. Ian. die tertio, *pp*) *Lib.* 47. p. m. 339. *extr. sq.*

qq) *Annal.* XVI. 22. ad quem locum LIPSIUS in *Excursu A.* plura de hoc iureiurando notauit.

rr) de quibus peculiaris exstat NORISII dissertatio, quam tamen inspicendi nobis copia non fuit.

tiquissimo ritu, quum quinquennialium ludorum propter principatum OCTAVIANI AVGVSTI iam meminit DIO *Cassius ss*), qui itidem decennales sub TIBERIO celebratos commemorat *tt*). In hisce quoque natalium imperii votis sollempne erat illud iusiurandum in acta Imperatoris, cuius a militibus et prouincialibus se praeunte praefiti mentionem fecit PLINIUS *vv*).

Natalibus autem principum genuinis haec vota quoque sollempnia consueta fuisse, vel id ipsum dubitare nos non sinit, quod supra *xx*) de ludis festiuitatibusque, quippe quae vouebantur, et votorum nomine veniebant, diximus. Ipsos quoque hosce dies vota dicta esse obseruat GESNERVS *yy*).

Sed satis de votis diximus.

CAP. V.

Supereff ex instituto nostro, vt, ad finem libelli iam properantes, ne TVA, SERENISSIME PRINCEPS clementia indulgentissima abutamur, molestiam TIBI creantes multa lectione, quam non tam studio nostro, licet id ipsum quantum fieri possit, efficere cupiamus, quam potius ipsa indulgentia, quae in TE summa est, et amabili TVAE humanitate posse ad SANCTISSIMAE TVAE PERSONAE dignitatem euehi, egregie sentimus, supereff igitur inquam, vt per lancem
faturam

ss) Lib. 54. p. m. 533.

tt) Lib. 57. p. m. 615, extr.

vv) Epist. X. 60.

xx) Cap. II.

yy) ad PLIN. Epist. X. 44. vbi notat quoque, BVCHNERVM hanc episto-

lam referre ad vota sub initium anni facta, quod et GOTHOFREDVM fecisse, loco, quem dixi supra sub *litt. oo.* video. BACHIVS tamen ad BRISSON. *de form. p. 91.* hanc epistolam ad quinquennialia vota referre maluit.

faturam. (miscella enim damus) pauca non nulla de aliis quibusdam sollemnitatibus adiiciamus, quas in celebrandis Principum natalibus antiquitus seruatas inuenimus, licet eae non sint solis principum natalibus propriae, sed in priuatorum quoque natalicis sollemnitatibus celebrandis obuia.

In genere autem, vt ab hoc incipiamus, mos iste celebrandi natalem Principis est antiquissimus cum ipso Principatu in Roma simul ortus. Non tantum enim a *DIONE Cassio* ^{a)} accepimus, Senatam Romanam post *IULII CAESARIS* mortem in eius honorem natalem eius sollemniter celebrari iussisse, verum quoque *SVETONIUS* ^{b)} auctor nobis est, *equites Romanos, natalem OCTAVIANI AVGVTI sponte, vt ait, atque consensu biduo semper celebrasse.* Quare errare nos vix veremur, dum initia huius instituti ex his ipsis *SVETONII* verbis conicimus voluntaria fuisse, neque forte, quum equitum tantum mentionem fecerit, ad omnem populum spectasse. Quae quidem celebratio, vt fit sapissime in multis rebus, quae ab exiguis profecta initiis hilariora mox capiunt incrementa, successu temporis et latius ad omnem populum extensa est, et consuetudinis vi accedente, necessitatis lege aucta est. Caeterum ex hoc *SVETONII* loco id quoque discimus, ab antiquissimis inde temporibus, hanc sollemnitatem non fuisse ad vnus diei mensuram adstrictam. Neque, vt hoc adiiciamus, in vrbe tantum, vbi princeps erat, sed et in prouincia natalis eius celebrabatur ^{c)}.

Ad splendorem autem hisce diebus conciliandum maxime pertinere, vt olim visum est, ita et hodie credi solet, vt omnes, qui in aula palatioque principis militarent, splendidiori vestitu ornati adparerent, ipsoque vestium ornamento laetitiam animorum manifestarent. Quem quidem

^{a)} *Lib. 47. p. m. 340*

^{b)} *in Oct. Aug. c. 57.*

^{c)} *Vid. PLIN. Epist. X. 28. 2.*

quidem nitidum vestium fulgorem a MAXIMO Episcopo d) diligenter descriptum et quasi depictum hic dabimus. *Laetitia*, ita ille, *quanta sit, quantusque concursus cum Imperatoris mundi istius natalis celebrandus est, bene nostis: quemadmodum duces eius et principes, omnes etiam militantes accurate sericis vestibus accincti, operosis cingulis auro fulgente pretiosis, ambient solito nitidius in conspectu regis incedere. Credunt enim maius esse Imperatoris gaudium, si viderit maiorem suae apparitionis ornatum, tantoque illum laetum futurum, quanto ipsi fuerint in eius festiuitate deuoti, ut, quia Imperator, tanquam homo, corda non conspicit, affectum eorum circa se probet, vel habitum contuendo: ita fit, ut splendidius se accuret, quisquis regem fidelius deligit.* Haec MAXIMVS noster viue magis, quam eleganter, sed apte et compositè ad genium saeculi sui. Vestium autem hololericarum SYMMACHVS e) quoque meminit in natalibus principum sollempnium, de quo mox. In primis huc autem spectat, quod DIO Cassius f) refert, in agendo natali die IVLII CAESARIS, Senatū iussisse, ut ab omnibus animo laeto lauroque coronatis celebraretur. Laureatos quoque fenatores spectasse horrenda sane, quae DIO Cassius plenissime et abundanter refert, spectacula a COMMODO Imperatore natali die edita per quatuordecim dies, is ipse indicat, dum, ut risum contineret dissimularetque, quem inepta et immanis Imperatoris ferocia, aequè ac timorem, mouerat, lauri folia, quae habebat ex corona, se comedisse ait g).

Conuiuia autem natalicia sicuti etiam priuatis erant sollempnia apud romanos, vti a CICERONE b), MARTIALE poeta i) et SYMMACHO disci-

d) in sermone eius in vigiliis natalis Dominici habito, qui est loco XIIII, posita inter sermones AMBROSII Episcopi Mediolan. Tom. III, operum Basil. 1555, editorum pag. 239.

e) Epistol. IV. 8.

f) Locum nominauimus supra sublit. a.

g) Lib. 72. p. m. 834.

h) Philipp. II, c. 6. f. 15. vbi ANTONI-

1) discimus, ita dubitandum non est, in Imperatorum natalibus ea vfu quoque fuisse. Quin potius luculentissime id adparet, fide veterum scriptorum. Ita enim DIO Cassius m) in celebrando natali AVGVSTI, IVLIVM ANTONII F. praetorem ex SCto. epulum AVGVSTO et senatoribus in Capitolio dedisse refert. Sed hoc pariter, vt illa conuiuia sollemnia, quae populus parabat, ad vota referenda videtur. Praeter haec vero lautissima quoque dedisse ipsos Imperatores conuiuia natalibus suis diebus, exemplo COMMODI Imperatoris docemur, cuius epulas DIO Cassius, qui ipse iis interfuit, multis verbis diligentissime descripsit, idque in primis nobis reliquit, moris fuisse, vt in his: *Viuas!* Imperatori a conuiuis acclamaretur n).

Infundendi quoque super altaria meri sollemnitas in honorem Genii instituta, cui hoc facto die natali munus annale soluebatur, vt CENSORINVS o), dicit, quae in primis quoque ipso eo die, quo quis nascebatur, a patre infantis recenter editi fieri consuevit p), conuiuio illis iungebatur.

Munuscula autem ab Imperatoribus data fuisse hisce diebus ex MAXIMI Episcopi oratione, cuius iam supra mentionem fecimus q), luculenter adparet. Is enim statim post verba, quae antea dedimus, ita pergit: *Deinde, quia in die natalis sui sciunt, eum largum futurum ac donaturum plurima vel ministris suis, vel iis, qui in domo eius abiecti putantur et viles, tanta prius thesauros eius replere diuitiarum varietate festinant*

NIVM natalicia in hortis dare dicit, ad quae vetus interpres, vti est apud RESN. in thes. Stephaniano s. v. natalicium: Natalicia sunt conuiuia luxuriosa, ad celebrandum diem natalem peculiariter structa.

1) Epigram. X, 27. XII. 61.

l) Epist. VI. 80. 81.

m) Lib. 54. p. m. 538.

n) DIO Cass. Lib. 72. p. m. 832.

o) de die natali c. 2. f. 2.

p) Vid. SVETON in Aug. c. 94.

q) Vid. supr. not. sub lit. c.

finant, ut in quantum prorogare voluerit, in tantum prorogatio copiosa non desit, et ante voluntas donandi deficiat, quam substantia largiendi. Quae quidem verba, licet non adeo eleganter contexta, ideo adposuimus, quia indigitare videntur, quod tamen certo adfirmare non ausim, fuisse quoque Imperatoribus a populo munera ad hunc diem impertita et oblata, ex quibus ipsis, quae forte donare vellent, fumerent. Certe de COMMOD Imperatore constat, eum, nec exigua, sibi munera porrigi iussisse, quum de eo referat, qui multus in hoc loco est, DIO Cassius r), eum natali suo die senatoribus romanis (de his enim loquitur, dum ait *nobis*) *uxoribusque eorum et liberis, singulis binos aureos, tanquam aliquas primitias imperasse, idque tributum soluere coëgisse, itemque a senatoribus, qui in reliquis ciuitatibus erant, (i. e.) Decurionibus municipiorum) quinque denarios exegisse.* Sed a COMMOD, qui ipse gladiator in Circum prodiere non abhorruit, et turpissime sibi de pecunia gladiatorum singulis diebus, decies sestertium numerari voluit s), intelligo, ad alios Imperatores argumentum duci non posse, neque is ipse, tributum illum ab omni populo, sed a senatoribus tantum et Decurionibus exegit. Neque quod SVETONIVS refert, ubi diei natalis OCTAVIANI AVGVSTI ab equitibus celebrati mentionem facit t), *omnes ordines in lacum Curtii, quotannis, ex voto, pro salute eius stipem iecisse* huc est trahendum, quum eiusmodi stipem, ex voto, Deo soluebatur u), non imperatori, neque ex eo loco constat, id die natali, de quo paullo ante loquutus erat SVETONIVS, factum esse. Attamen, quae SYMMACHVS habet x), de equis ob natalem HONORII

NORII

r) Lib. 472. p. m. 831. extr.

s) referente eodem DIONE, ubi mox, p. m. 833.

t) Locum dixi supra lit. b.

u) de quo more stipem in aquam iaciendi, qui ad sacra facienda pertinet,

LIPSIUS dixit ad TACIT. Annal. XII,

5, ubi tamen PLINII locum nec recte, nec plene indicat. Est is, qui omnino huc facit, *Epist. VIII, 8, 2. ibi: fons, qui toto gremio patefcit, purus et vitreus, ut numerare iactas stipes, et re-lucentes calculos possis.*

NORII Imp. largiendis, et aquae theatralis *y*) et holosericarum vestium impetratione, ea aliquam suspensionem faciunt, ad similitudinem strenarum, die quoque natali principibus aliquid munusculi oblatum esse, quod in priuatis moris fuisse plane indubitatum est; et multis, vel folius MARTIALIS *z*), locis constat.

Gratulandi denique pium officium maxime in principum personis obseruatum esse, quis dubitabit? qui scit hoc apud romanos inter priuatos amicos adeo sancte seruatum esse, vt non tantum praesentibus ore, sed et absentibus litteris *aa*), carminibusque *bb*) praeslitum fuerit. Sed et panegyricos in principes ad celebrandum diem natalem genuinum *cc*), imperii *dd*), et ad agendos natales urbium *ee*) adeo, dictos esse nemo ignorat.

Sed

x) *Epist. IV. 8.*

y) Quae aqua sit theatralis lubens profiteor, me plane ignorare, et optarem sane, vt quis mihi in explicando hoc loco lucem accenderet.

z) *Epigram. IX, 54. X, 24. et 87.* CLYTI quoque mirabilem sane, sed infamem, avaritiam taxat, qui octies in anno, munerum consequendorum causa, celebrauit natalem *VIII. 64.* Ipsi autem conuiuiae, qui apud eum, cuius dies natalis erat, epulabantur, haec munera dabant, vti adparet ex *Eiusd. Epigr. VII. 85.*

aa) Varias existant epistolae PLINII, quibus natales imperii TRAIANO gratulabatur veluti *X, 60, et 103, sed et X, 100.* huc spectare GESNERVS suspicatur, et *X, 44,* BACHIVS huc refert, vt supra monuimus, ad Cap. praeced. not. *yy.* Natalis quoque genuini in prouincia celebrati mentio facta est *X, 28,* sed absque gratulatione.

bb) Exempla habes in MARTIALIS *Epigr. IX. 53. et X. 87.*

cc) Praesto est MAMERTINI Genetbliacus Maximiniani qui tertium locum occupat inter Panegyricos *XII. veteres Frf. 1607. editos.*

dd) huius exemplum praebet EVMENII Panegyricus CONSTANTINO dictus ad celebranda quinquennalia tertia imperii, et prima a tempore, quo filii sui Caesares facti erant, qui est septimus duodecim illorum, quos ante diximus. Referendus huc quoque est incerti auctoris panegyricus, quem quinto loco inter eosdem inuenies.

ee) existant MAMERTINI et EVMENII panegyrici, quorum ille MAXIMINIANO ad celebranda natalia urbis Romae, hic CONSTANTINO, natali die urbis Treuirensis, dictus est. Alter secundum, nonum locum alter inter *XII.* illos, quorum mentionem fecimus, occupat.

Sed nolo diutius his immorari, ne ab antiquitatis exemplis instituti mei excusationem petere videar. Alias enim CENSORINI liber, quem de die natali scripsit ad CERILLIVM, natalem ipsi gratulaturus, qui proxime a meo instituto abesse videtur, quare et hunc in fronte natalicium dixi, quo nomine is suum quoque primus forte et solus, licet non inepte, insigniuit, hic inquam CENSORINI liber ante omnia nominandus et in auxilium vocandus mihi esset. Sed quum propositum id mihi solum fuit, ut pietatem TIBI,

SERENISSIME DVX

PRINCEPS SANCTISSIME

testarer, eiusque, hac mihi oblata huius rei commodissima occasione monumentum TIBI qualecunque publice ederem, pietatis autem, quae ipsam mentem totumque animum occupat,

et ex intimo animi sensu proficiscitur, ea vis sit, ut ad aliorum exemplum formari fingique nequeat, sed naturali quasi et ingenua propriaque sua ratione constet, sane non tantum non video, quid opus sit aliorum, vel ex antiquissimis temporibus, vel ex recentissimo saeculo arcessitorum exemplis*), sed sentio plane atque intelligo, mihi met ipsi me fore vim illaturum, dum, quod sponte sua et subito in me natum est consilium, nec arte, vel a me ipso excogitatum, id, quasi esset ab aliis petitum, aut secundum aliorum similia instituta efformatum dicerem ac repraesentarem. Neque enim excusationem eius veniamque inde me petere posse existimo, qua


*) Quum typis haec iam exscripta erant omnia, forte fortuna in manus nobis incidit AVGVSTI VARENI *disp. historica de natalibus veterum eorumque sollemnibus*, a 1685. tertio Kal. Martii (i. e. 27. Febr.) Rostochii habita D. GVSTAVI ADOLPHI Ducis Meclenburgici diei natali quinquagesimo tertio in d. 26. Febr. incidenti dicata, quae quidem, licet proxime adcedat ad locum, quem nos tractauimus, tamen, quantum nobis fugiente oculo illam inspicientibus iudicare licet, ita comparata est, ut verendum nobis non sit, ne, si illam tacentes praeteriissemus, ab iis, qui illam nouerant, plagii accusati essemus. Iam vero, quum nobis, quamuis ferius, innotuerit, nefas duximus, eam silentio premere,

qua omnium minime, quod a pietate proficiscitur, indigere videtur, aut, si indigeret, eam a TE solo expectare volo. Quidni vero expectarem a TE, OPTIME PRINCEPS, ALME PATRIAE PATER, hoc enim TE nomine lubentissime et ex animi sententia compello, cuius in litteras liberalesque artes fauorem, et in quemuis ex populo TVO summum amorem, adeo compertum habent, qui TE norunt, id est, vniuersi, vt de eadem dubitare nefas omnino putarem. Quare non eius, quod volui studuique efficere, veniam TE rogo, id enim a me impetrare non possum, quum sentio, id adeo serena TVA et amabili humanitate dignum esse, vt venia nulla indigeat, sed eius, quod, quum maxime volui, efficere non plane, ob virium imbecillitatem tenuitatemque ingenii potui, ita a TE excusationem enixissime peto, vti maxime eadem mihi opus esse intelligo. SVMVM autem, quod supplex ego veneror,

NVMEN

☉ XXXXVIII ☉

NVMEN, sanctissima mente precor, ut rata
abeat, quae ego, quae TVI vniuersi, quidni
enim TVOS appellem, quorum TV TE patrem
deliciasque praestas, pro salute TVA et inco-
lunitate vota suscipiant, velitque ea semper *seui*
*semper*que signari. Ita valebis SANCTISSIME
PRINCEPS, quam optime, valebunt TVI,
valebit patria, resque omnes, et publica, et
priuata, et sacra, et ciuilis, et litteraria in-
dies laetius efflorescent hilarioraque capient
incrementa. Vale ergo, saluus et incolumis
et, quae TVA salute comprehenditur, valeat
res publica. Iterum vale!



☉ XXXXVII ☉

um minime, quod a pietate proficisci-
 gere videtur, aut, si indigeret, eam a
 expectare volo. Quidni vero exspe-
 TE, OPTIME PRINCEPS, AL-
 TRIAE PATER, hoc enim TE nomi-
 nissime et ex animi sententia compello,
 litteras liberalesque artes fauorem,
 nus ex populo TVO summum amorem,
 pertum habent, qui TE norunt, id
 ersi, ut de eadem dubitare nefas omni-
 rem. Quare non eius, quod volui
 efficere, veniam TE rogo, id enim a
 are non possum, quum sentio, id a deo
 VA et amabili humanitate dignum es-
 nia nulla indigeat, sed eius, quod,
 xime volui, efficere non plane, ob vi-
 ecillitatem tenuitatemque ingenii po-
 a TE excusationem enixissime peto,
 ne eadem mihi opus esse intelligo.
 M autem, quod supplex ego veneror,
 NVMEN

